

Turcos præstare creduntur : quod & pugnæ eventus eo tempore declaravit ; fusæ nanque ac fugatæ a Persis Othomanicæ copiæ , pene omnes cum ipso duce occidione occisæ sunt : quadraginta Turcorum millia ea acie conflixisse dicuntur , Persarum triginta millia . Ea vīctoria Rex elatus , postero die Othomani castra circumsedidit . Muniverat interim ille sibi locum mediis castris , quo se quasi arce quadam tutissima continebat : inde circuitu quatuor millium passuum fossam vallumque castris circumduxerat : post vallum circumquaque currus , ferreis catenis inter se connexis , binas singuli machinas habentes . Ingens ad hæc tormentorum vis ad tuendas munitiones undique disposta erat : ad ea in hostes exercenda quindecim hominum millia parata erant . Intra vallum quinque & viginti lectorum equitum millia continebat , Thraces , Triballosque omnes : peditum , quos *Janizaros* vocant , viginti millia , manum prope invictam , & Macedonicæ phalangi assimilem . Sub primum igitur hostis accessum multa tormentorum millia uno tempore in confertas hostium catervas excussa ingentem hominum equorumque edidere stragem . Hic Usuncasani Regis filius , adolescens ferox , ac proxima vīctoria ferocior factus , prima acie pugnans plumbea glande trajectus occubuit . Persæ fœda suorum strage territi , consternatisque ad id insolito machinarum sonitu equis , terga vertunt . Tum eruptione ex castris facta , Turci vīctis instant , passimque fugientes obtruncant . Omnis Persarum exercitus equester erat : celeritate equorum proinde freti , ex Turcorum conspectu præcipiti fuga abierunt . Castris vīctor potitus , fugientem ulterius persequi non est ausus . Rex in Armeniæ montes , ubi uxor & liberi erant , se recepit . Othomanus , quoniam hostem castris exuisset , quasi vīctor , misso exercitu , Byzantium est reversus . Persarum trecenta ac quinquaginta bellatorum millia fuisse dicuntur , Turcorum trecenta ac viginti : sed horum quadrata-